

1582

permittendum, ut ea tabes ad magistratum perveniret, summaque majorum prudentia institutum concilium collaboretur: si qua in re lapsum foret, corrigi, moderari, nimiam circumscribi auctoritatem oportere. Igitur variis consultationibus reagitata, tandem majoribus comitiis Consiliarii legem tulere, qua, lege anni M. CCCC. LXVIII. ad salubriorem formam redacta, intra certos terminos Decemvirum Adjunctorumque auctoritas cogebatur, atque pecuniae publicae erogandae modulus præscribebatur: de abditis atque arcanis negotiis ad Senatum referretur; eoque tantum consulto decerni posse caverbatur. At Franciscus Gradonicus, Quadragintavirum capitalium Magister, sic adversus legem dicere est exorsus.

*Lex de au-
toritate
Decemvi-
rum consili-
um condi-
tione refor-
manda.*

*Fran. ifei;
Gradonici
oratio.*

Inficiari nequeo, præstantissimi cives, qui suprema hæc comitia conficitis, diu me hæsitantem, ancipitique consilio distentum varias in partes animum versasse, antequam in conspectum istum amplissimum prodirem, atque ex eo loco verba facerem, ex quo præclarissimi viri, diuturno rerum usu atque eloquentia insignes dicere consuevere; quibus sane rebus cum me penitus destitutum sentirem, mei periculum absque jactura facere non posse satis animadvertebam. Sed omnia cum meus in patriam amor & charitas, tum munus Quadragintavirum Magistri, quo obstringor, vicit, neque passus est, ut, quæ e Republica esse existimarem, silentio præterirem, officiumque desererem, quod cum vita tantum extingui debet. Neque me fugit, difficile admodum esse iis de rebus differere, que cum ad omnes spectent, tum singuli suo ingenio, & consilio metiuntur. Attamen illud in primis me reficit, animosque addit, quod cum nil mibi, præter publicam utilitatem, statuerim, non minus attente, quam benigne vos audituros confido. De iis enim legibus institutisque tuendis agitur, quibus alta atque educata Respublica, ad eam quam modo cernimus existimationem atque amplitudinem excrevit, quibus severe ac rite servatis, ingenti felicitate ac tranquillitate cuncta processere; contra vero neglectis, ingentia damna extitere. Quis porro ignorat, Veneti Senatus auctoritatem ac majestatem apud cunctas gentes egregiam consilii ac prudenter laudem talisse? in eo mentem totius Reipublicæ residere, ejus nutu ac providentia erectam civitatem, publicas privatasque auctas opes, bella gesta, con-

factis